



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

56. De Fostilandia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

quas accessiones hinc capite septimo in vnum commiscet Marcellinus. Natalis eius an alicubi celebretur me latet: à recentioribus tamen notatur idibus Augusti, inquit Molanus. Mirum tamen esset proprii Apostoli & qui Frisiã suo sancto sanguine purpuravit, in eãdem natalem diem non esse celebratum.

## DISSERTATIO LVI.

## De Fostilandia.

**F**ostilandiam Wigbertinæ necis locum omnes Insulam faciunt: quem autem situm in Frisia habuerit, inexploratum. Sunt qui ad Albim fluium vel ex opposito ostij fluuij in insula nominata *Hepiligerlandt* eam collocant. Sed hoc de nostra Fostelandia nullo modo dici potest. Alcuinus supra statuit in confinio Danorum & Frisiorum in eaque S. Willibrordum coeli intemperie coactum hospitium capisse dum iter ad Danos institueret. Nonnulli Fostilandiam opinantur esse Insulam ad littus Frisiæ Oceano inclusam ab auaro Neptuno multum imminutam hodie Amelandiam olim Amstrachiam dictam iudice Iano Doufa eã super disputante lib. 2. Annalium Hollandiæ. Horum opinio non est extra verisimilitudinem. Molanus in indiculo Sanctorum Belgij verbo Wigbertus: *videtur autem, inquit, Fostilandia extremis Frisiorum sinibus fuisse contermina quo in loco Tacitus Fosos aut Fositas nominat.* Verum hoc nullius probabilitatis apud me est. Fosi apud Tacitum nimis remoti erant à Frisia quã vt Radbodus vnico oppido amisso tanquam lepus in prælio eò fugeret. Erant namque contermini Cattis & Cheruscis. Cherusci autem Germaniæ erant. populi Transrhenani quos

Bace-

Bacenis sylua Germaniæ ingens, iam nigra secundum quosdam dicta, à Sueuis pro natiuo muro diuidit. Catti similiter populi erant Germaniæ Trans-rhenani Ligijs Hungariæ populis, Cheruscis, Herciniæque syluæ proximi ac Hermanduris cum quibus pro flumine finitimo sale fæcundo pugnabant & in æternum discordabant. Vide Tacitum lib. Annal. lib. 1. 2. 12. 13. & lib. de moribus Germaniæ. Inde videbitur quantum nimis à Traiecto distiterint Fosi Taciti, quàm vt relicto regno, desertâ plebe quasi panico terrore correptus ad eos exteros se proripuerit Radbodus. Aliud erat acri viro pectus quod non longè post ostendit, alius populo belligero & feroci animus. Restabant reliqua Frisia, insulæ multæ, munita loca multa quæ hostis nondum attigerat. Imo obtento Traiecto & arce milite præfidiario munitâ mox in Austrasiam reuertitur Pipinus alijs negotijs & bellis eum reuocantibus, vt non fuerit opus eum adeo longinquâ, ne dicam ignominiosâ fugâ arripere. Egedem rationes militant contra opinionem primam. Quare alio loco quærenda est Fostilandia Radbobi, Frisiæ propinquius, vel in Frisiâ. Si quid mihi coniectare liceat, conijcio esse insulam riuis vel fluminibus septam è regione Amelandiæ magis introrsum ad mediterranea Frisiæ, in quâ charta topographica à Sibrando Leonio ordinis Præmonstratensis Canonico delineata & operi Orteliano inserta representat vicum nomine Fosweert, quasi Fosteweert, id est insula Foste. Præter indicinam ex cognatione nominis, argumentum est quod consensu scriptorum Radbodus Traiecto profligatus se receperit, non in Oceanum aut extrema planè, sed in vltiora & penitiora Frisiæ, quod de mediterraneis & à mari remotioribus locis cõmodius accipitur. Interim coniectura mea sit, meliori lubens palmam cessura. Hanc Fostilandiam Beatum Ludgerum Frisium primum Episcopum

196 DE PRIMIS VETERIS FRISIÆ APOSTOLIS  
Monasteriensem prædicatione sua illustrasse, tradunt Mo-  
nachi Werdenenses in vita ipsius.

D I S S E R T A T I O LVII.

De admissione Alpaidis pellicis & dimissione Plectrudis  
à Pipino.

**I**Am 14. annum in maioratu Austrasiæ, in Franciæ ma-  
ioratu sextum aut octaum annum agebat Pipinus Her-  
stallus, Heros pacis & belli gestis spectatissimus. Suspi-  
ciebat eum totus penè orbis, hostibus omnibus formi-  
dabilis, bonis summè amatus, ubique victor secundam  
fortunam quasi uxorem duxerat. Verùm huius terre thea-  
trum nil ab omni parte producit beatum. Qui feroces po-  
pulos domare, proprios affectus domare non valuit. Verfa-  
batur in eius aulâ numerosa variarum Prouinciarum nobi-  
litas, Duces, Marchiones, Comites, Dynastæ prout Princi-  
pum fælicitatem solent sequi: inter eos quidam cui nomen  
Dodo. Comitibus titulo decoratus, adeo adulationis simulatio-  
nisque technis instructus, vt Principem locum apud Pipinum  
facile teneret, ab eo libenter audiretur, nihil maioris nego-  
tij ille gerere, quod non Dodonis consilio, calculo esset mu-  
nitum, approbatum; solus ipse Principis aures obsidere.  
Sed vtinam in admittendo consiliario & amico cautiorem  
delectum habuisset Pipinus? vtinam illi obtigisset quod A-  
lexandro Imperatori, de quo Lampridius: *Amicos sanctos &  
venerabiles habuit; non malitiosos, non furaces, non factiosos, non  
callidos, non ad malum consentientes, non bonorum inimicos, non li-  
bidinosos, non crudeles, non circumuentores sui, non irrisores, non qui  
illum tanquam fatuum circumducerent: sed sanctos, venerabiles,  
continentes, religiosos, amantes Principis sui, & qui de illo nec*  
ipso